N.º 1.

24. Junio 1546.

Fundacion de un beneficio bajo la invocacion de S. Andres en la Parroquial Yglesia de Ciudadela, hecha por D.n Juan Quart.

Arxiu Comtat de Torre-saura

2.

Fundació del Benefici de S.t Andreu, per Joannot Quart.

+

Die veneris vigesima quarta Mensis Junij anno à Nativitate Dni. M.DXXXXVj

In Nomine santissime, et Individue Trinitatis in qua firmiter Cre=dimus et fiducialiter speramus: Cunctis pateat evidenter; Quod Ego Joannotus Quart diebus Major Civis Ciutadelle Insule Minoricarum filius Mag.ci Antonij Quart Civis, et Domine Carline conjugum ejus=dem Ciutadelle habitatorum deffunctorum; Recte de bonis meis, ani=me mee taliter providere, Cogitans, et ex illis in agro Dominico se=minantis; Divina Clemencia; sentuplum reponere valeam; felici commertio cum Beatis, et eo Maxime, ministrando ali=menta Sacerdotibus quibus jure debentur, si dum Altaribus serviunt, Divina Canunt: et nobis exhibent quotidie Panem nostrum quotidianum: hoc est Mirabile Sacramentum, Sacra=mentorum, presiosissimi Corporis, et sanguinis Domini Nostri JesuChristi filij Dei vivi, qui se ipsum pro nobis in precium, et in vinum panem, et post hujus miserabilis vite decursum; misericorditer in premium largitus est; Ideo ea Majori ani=mi quietudine, et liberalitate qua possum: Gratis et ex certa siencia, ob reverentiam, et amorem, ac onorem ejusdem Do=mini Nostri JesuChristi; et sue Purissime Genitricis Virginis Marie, et Totius Curie Celestis, et ad salutem anime mee, et dictorum Parentum meorum; Nec Non et aliorum prede=cessorum et benefactorum meorum et omnium fidelium deffunctorum ac omnium aliorum quibus teneor: Cum hoc publico Instrumento ubique firmiter ac perpetuo valituro; eis sibicet melioribus via, modo, et forma, ac Jure quibus melius facere possum: Instituo, erigo, atque facio, et fundo in Capella cons=tructa Intus Parrochialem Ecclesiam Ciutadelle jam dicte; sub Invocatione Sancti Andree Patroni mei ac Predecessorum meorum Unum perpetuum simplex Beneficium Ecclesiasticum in eadem Parrochiali Ecclesia decantandum, et celebrandum; Volens et dispo=

Arxiu Comtat de Torre-saura

disponens: quod Presbiter aut Clericus quicumque fuerit obtinens dic=
tum Beneficium in predictis Ciutadella, ac illius Parrochialis Ec=
clesia propria; et personalem habitationem, et residentiam fa=
cere teneatur; in omnibus Divinis officiis celebrandis, à Cantico
graduum ad completorium inclusive et atque debitum servitium
eidem Beneficio prestare teneatur: pro ut per obtimos Sacerdotes
Beneficia Ecclesiastica obtinentes fit, et fieri solet; ad hoc ut dic=
tum Beneficium debito servitio minime defraudetur: quinimo dic=
tus Beneficiatus Dominum Nostrum Iesum Christum, pro salute
vite mee quo ad vixero, et me defuncto pro anima mea, et pro omnibus
defunctis, quotidie orare conetur. Volo insuper, ordino atque Mando:
quod presbiter, seu Clericus qui dictum obtinuerit ecclesiasticum Be=
neficium, teneatur celebrare aut facere celebrari in dicta Capella
sancti Andree quolibet anno unam Missam cum offertorio luminis
panis et vini, et abslutione in festo ejusdem sancti Andree Apos=
toli; et in illius honorem et reverentiam cum collectis Beate
Virginis Marie, et sancti Sebastiani ut intercedant pro Anima=
bus mea, et dictorum Parentum, et Benefactorum meorum.
Et quia altari serviens de altare vivere debet, et rationi ac
juri convenit Beneficia Ecclesiastica convenienti dote dotari;
Ideo ego Joannotus Quart, dono, et offero, prefacto Domino
Deo meo, et sue Genitrici, ac dicto sancto Andree Patrono meo:
Donatione pura, mera, simplici, et irrevocabili, que dicitur
inter vivos de presenti, in manu et posse notarij infrascripti,
ut publice Persone pro illis et aliis quorum Interest, vel inte=
rerit, aut interesse poterit recipienti et acceptanti ac stipu=
lanti pro dicto beneficio, ac illius donatione ac sustentatio=
ne vite illius Presbiteri vel Clerici qui dictum Beneficium
pro tempore obtinebit: Quatuordecim libras Censuales annua=
les, et rendales, Monete Regalium Majoricarum Minutorum
tam in proprietate quam annuis pentionibus à Cetero deben=

debendis, in et super proprietatibus infrascriptis: videlicet
duas libras et duos solidos in et super Rafallo vulgo dicto den
Pere March quem nunch tenet et possidet honorabilis Baltazar Mar=
torell Civis = Item super Ospicio Domine Francine vidue ux=
oris honorabilis Joannis Oliver quondam Civis situato in Platea Beate
Marie del Rozer in quibus est obligatum Ospicium Magnifici Joan=
noti Quart quondam Patris mei, quinque libras = Item super Possessio=
ne de la Marjal, tres libras et sex solidos que quidem tria
censualia recipiuntur in festo sancti Michaelis Mensis sep=
tembris = Item duas libras super Orto Leonardi Riera Orto=
lani in festo Dominice Resurrectionis = Item triginta duos
solidos super Possessione de son Arro termini del Mercadal
portatos in presenti villa in festo sancti Joannis Baptiste:
que quidem Censualia summam accedunt dictarum quatuor=
decim librarum Censualium de quibus dictus Beneficiatus qui
dictum Beneficium obtinebit teneatur quolibet anno in dicto
festo sancti Michaelis dare et solvere Venerabili Comunitati
Presbiterorum in eadem Ecclesia Beneficiatorum seu illius
Yconomo Procuratori de anniversariis, seu ratione quotidiana=
rum distributionum per ipsum Beneficiatum in eadem
Ecclesia percipiendarum, duas libras dicte Monete, pro ut jam
fuit initum et concordatum inter me et Venerabilis Pres=
biteros Beneficiatos + et sic sunt dicte quatuordecim libre Cen= + in dicta Ecclesia
suales pro sustentatione vite dicti Beneficiati et pro solutio=
ne dictorum Anniversariorum ut Predicitur, et quia ex con=
cessione Regia et per consuetudinem longam observatus à tanto
tempore citra, quod non est memoria hominum in contrarium,
solitum est ex redditibus ad similia Pia opera designatis solu=
ti quartum Invictissimo Domino nostro Regi pro suo Iure
admortizationis: Ideo pro observantia premissorum, cum
presenti do, cedo, et consigno, sive designo prefato Domino Regi pro

Arxiu Comtat de Torre-saura

per suam Magestatem aut alium pro eo, singulis annis habendas et
percipiendas quatuor libras tertdecim solidos, et quatuor denarios
ejusdem monetę censuales, annuales, et rendales, super proprie=
tatibus infrascriptis, scilicet tres libras quę recipiuntur anno
quolibet in festo sancti Michaelis Mensis septembris, super
ospicio honorabilis Joannis Casasnovas situato in Vila de Mayor
ejusdem Insulę, et viginta duos solidos qui recipiuntur in eo=
dem festo super ospicio honorabilis Dominici Pons situato in Vil=
la de Mahone ejusdem Insulę, et sexdecim denarios ad com=
plementum super pocessione dicta Marjal predicta ex ma=
jori summa Censualis quę mihi restat percipienda super
illa: in eodem festo. Predictas itaque decem octo libras ter=
decim solidos et quatuor denarios Censuales, annuales, et
rendales, dicto Beneficio, seu illius pro tempore Benefi=
ciato ac prefato Domino Nostro Regi singula singulis, pro=
ut superius; et ex predictis Causis, referendo. Do, cedo,
assigno et designo, tam in pretio seu proprietate quam
in annuis pensionibus à cetero debendis in manu et
posse Nottari infrascripti et Publicę Personę, pro ut supe=
rius, pro illis, et utroque illorum legitimé recipientis et
stipulantis cum omni earum jure utili dominio usu,
comodo, requisitione ac perceptione; Et Generaliter
cum omnibus alijs universis et singulis Mihi, et Meis,
super predictis Censualibus, et quolibet illorum pertinen=
tibus et pertinere debentibus quibusvis Juribus, titulis,
sivé Causis pro dote scilicet eiusdem Beneficij ex vitę sus=
tentatione eorum qui pro tempore illud obtinebunt
et quarto prefato Domino Nostro Regi pertinenti et
oneris preopositi et injuncti, et extraho predicta Censua=
lia de jure Dominio proprietate et potestate meis et meo=
rum, eademque omnia et singula in jus Dominium et propri=

proprietatam Beneficiati qui dictum Beneficium obtinebit ac
Domini Nostri Regis mitto et transfero irrevocabiliter pleno jure singula
singulis refferendo: ad habendum, tenendum, omnique tempore paci=
fice possidendum sine contradictione nec impedimento mei et meorum.
Promittens dicto Beneficiato, et Domino Regi singula singulis referendo,
tradere pocessionem corporalem seu quasi de predictis Censualibus, vel
illam apprehendere ipsi possint dum de eorum processerit voluntate.
Ego enim interim donech dictam pocessionem apprehenderint et per=
fertur; constituo me predicta Censualia predictorum Beneficiati
et Domini Regis singula singulis referendo nomine, tenere et posside=
re, seu quasi sicens de jure illos possidere, quorum nomine possi=
detur. Volens quod horum verborum rigore, et ex jure dispositione,
dicta possessio in illos pro tradita et translata habeatur, ac si per me
tradita fuisset realiter et de facto. Et titulo seu ex Causa hujusmodi
Beneficij Ecclesiastici, fundationis, erectionis et dotationis et aliis, pro
ut melius et eficatius de jure valere poterit, et tenere do, cedo, trans=
fero, atque mando, presbitero vel clerico, qui illum obtinebit nunc et in fu=
turo, et prefato Domino Regi omnia loca et jura, omnesque actiones, voces,
vices et rationes reales, et personales, mixtas, utiles, et directas, ordi=
narias, et extra ordinarias, reique persecutorias, et alias quascumque mihi
et meis competentia, et competentes, competereque debentia et debentes,
in predictis Censualibus, et contra quascumque Personas, Proprietates,
et res, ratione et ocasione eorundem. Quibus Juribus et actionibus
supradictis predicti Beneficiatus quicumque fuerit et Domino Regi, et
uterque illorum singula singulis referendo, possint amodo uti, frui, age=
re, et experiri in judicio et extra pro ut et quemadmodum Ego antea
facere poteram, quomodocumque, et qualitercumque dicens insuper inti=
mans atque mandans universis et singulis Pocessoribus vel detentoribus
dictorum Pocessionum et predictorum ac Ospiciorum super quibus dicta Cen=
sualia recipiuntur, tam presentibus quam futuris, thenore presentis
publici Instrumenti vicem Epistolę in se gerentis in hac parte, qua=

Arxiu Comtat de Torre-saura

quatenus in proximis venturis festis seu terminis, et ab inde sin=
gulis annis annis perpetuo, predicto Beneficiato, et Dno Regi, uni=
cuique pro sua portione per me pro ut superius distinctis, et designatis
respondeant et satisfaciant, pareant, et obediant pro ut mihi et meis
antea tenebantur. Constituens etiam dictos Beneficiatum, et Do=
minum Nostrum Regem in suis portionibus pro ut superius de=
signatis Dominos et Procuratores in rem propriam ad habendum
exigendum et recipiendum quolibet anno pensiones dictorum
censualium, et de receptis apocam vel apocas, fines definitiones
et quovis iure, titulo sive causa cessiones et albaranos faciendum
et firmandum. Et Promitto per firmam et validam stipu=
lationem in manu et posse Notarij infrascripti pro ut superius
stipulantis et recipientis predicta omnia, et singula semper ha=
bere rata grata, valida atque firma, et non revocare nec con=
tra facere vel venire sub bonorum meorum mobilium et
immobilium, omnium presentium et futurorum obligatione,
et sub omni iuris renuntiatione pariter et cautela: Ius ve=
ro Patronatus predicti Beneficij ecclesiastici mihi retineo,
durante vita mea ita quod quandocumque dictum Beneficium,
per mortem vel quocumque casu alio, quo locus sit presentationi
vacare contingerit, possim ad illius obtentum presentare,
quem voluero Presbiterum vel Clericum, et nunc ad ipsius
beneficij ab hujusmodi sui prima erectione vacantis obten=
tum, thenore, presentis publici instrumenti offero et pre=
sento Reverendissimo Domino Episcopo Majoricensi seu illius
Rdo Domino Vicario Generali et Officiali dictum Petrum Quart
Presbiterum filium meum, supplicans illum humillime ut dic=
tum filium meum ad obtentum dicti Beneficij admitere ei=
demque illud cum omnibus iuribus et pertinentijs suis pleno iu=
re conferre et in possessionem mittere seu induci facere dig=
netur; Post vero obitum meum volo, dispono, et ordino hu=

Ius Patronatus, ac presentandi Presbiterum vel Clericum ad
dictum Beneficium obtinendum pertinere, et spectare
uni ex heredibus, et successoribus meis quicumque fuerint, hoc
tamen declarato et proviso quod non sit Patronatus dicti Bene=
ficii, nisi unus tantum ex meis heredibus et successoribus uni=
versalis, et ille unus si masculi fuerint sit ille qui fuerit ma=
jor natu, et si masculi et feminæ fuerint quod preferatur
masculus major natu, quamvis masculus seu masculi essent
minores ipsis feminabus, quia omnino volo preferri masculum
et si non fuerint masculus seu masculi, et fuerint feminæ, volo
quod preferatur femina mayor natu; et sic observetur et cus=
todiatur in heredibus et successoribus meis, et in heredibus et
successoribus heredum et successorum meorum usque in infi=
nitum; Provideo etiam expresse et mando quod ipse unus
Patronus dicti Beneficij aut Patrona perpetuo teneatur ad
predicti Beneficij obtentum, quo ciens illud vacare continge=
rit presentare Presbiterum vel Clericum mihi propinqui=
orem de genere et cognomine de Quart si inveniri poterit,
preferendo tamen semper Presbiterum Clerico, et si Pres=
biter vel Clericus inveniri non poterit de genere seu cog=
nomine meo de Quart eo casu ipse unus Patronus teneatur
presentare Presbiterum vel Clericum ad mihi propin=
quiorem preferendo semper Presbiterum Clerico ut dictum
est: et si nullus Presbiter aut Clericus de genere de Quart
nec de alia consanguinitate mea reperiri poterit, tunc et
non aliter dictus Patronus presentare valeat alium presbi=
terum quem maluerit; Dispono nihilhominus atque mando
quod si aliquod censuale aut censualia ex predictis redimi
contingerit aut quitari, quod eo casu pretium seu pretia
illius vel illorum deponantur, et deponi debeant penes Depo=
sitarium Curiæ Ecclesiasticæ Ciutadellæ: ad solitam Venerabilis

Arxiu Comtat de Torre-saura

venerabilis Officialis Ecclesiastici Minoricensis qui una cum Patro=
no dicti Beneficij, et beneficiato illius, quam citius fieri poterit
Convertatur ipsum pretium in emptione alterius censualis in
loco tuto et securo, illorum conscientiam super his quantum
possum onerando; Supplicans propterea humillime prefato
Reverendissimo Domino Majoricensis Episcopo, seu illius in spiri=
tualibus et temporalibus Vicario Generali, et Officiali; et dig=
netur acceptare et admitere premissa omnia, et singula in presenti
instrumento contenta, et per me ordinata, et disposita et provisa
pro ut superius: et suam super illis ordinariam ac Pastoralem
interponere authoritatem, et pariter et Decretum; Dictumque
Dilectum Petrum Quart Presbiterum ad dicti Beneficii obten=
tum ad solitas gratias, favores et prerogativas admitere dignetur,
ad quas alij beneficiati dictę Parrochialis Ecclesię Ciutadellę
admitti solent. Actum est hoc Ciutadellę Insulę Minoricensis die
Veneris vigesima quarta Mensis huius anno a Nativitate Do=
mini Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Sig+num
mei Ioannoti Quart predicti, qui hec laudo, concedo, et firmo.
Testes huius rei sunt honor. Martinus Mora, et Mi=
chael Pons Cives Ciutadellę, habitat.

Sig+num Francisci Pons Notarij Publici Minoricensis, qui hec
scribi fecit, et publicavit, cum suprapositis in linea vigesima quin=
ta, et ac trigesima = Mihi et meis; et cum rasis correctis in lineis
vigesima quarta = Meis = et vigesima septima = dum:

Et nos Franciscus Mir Canonicus Almę sedis Majoricensis Vicarius
et in spiritualibus et temporalibus Generalis et Officialis, Reveren=
dissimo in Christo Patris Domini Dompni Ioannis Baptistę Cam=
pegij Dei et Apostolicę sedis gratia Episcopi Majoricensis huius=
modi Beneficij fundationem, erectionem et dotationem, ac Iuris
Patronatus Retentionem, omniaque et singula in dicta fundatione
contenta sicut pro inde facta sunt et disposita approbamus, et
et Confirmamus, Nostramque super illis ordinariam interponimus
authoritatem et Decretum; Providentes, et Mandantes, quod dic=
tus Petrus Quart Presbiter per dictum fundatorem presentatus
ubi dicto Beneficio, investitus fuerit; alijque dicti Beneficij suc=
cessores ad solitas prerogativas, emolumenta, et proventus dictę Par=
rochialis Ecclesię ubi situm est beneficium, sicut alij illius Bene=
ficiati admituntur, et admitti consueverunt, admitatur: In quo=
rum fidem hanc scripturam manu Nostra propria subscrip=
tam, fieri jussimus; sub die sexta Settembris anno a Nativita=
te Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.

Franciscus Mir.

Precedens Copia in sex quartis papiri scriptis, et parte huius pagine Compre=
hensa sumpta fideliterque extracta fuit a quodam libro inquaternato, sive
ad quadernus de plegamí intitulato extra = Pap. 04 [illegible] als origen
de la Casa de Quarts = fol. 26 reperto in Archivio domus Mag. ac Nob. [illegible]
Dompni Bernardi Ignatij Olives et Quart civis [illegible] Minoris [illegible]
et cum eodem veraciter ac pro ut decet comprobata per me Ioannem [illegible]
dina auct. [illegible] Apostolica ac Regia Notarium publicum [illegible] civis [illegible]
domiciliatum; Cui igitur ipsimet Copia, licet manu aliena, mihi tamen fi=
deli extracta plena, et indubia fides, ubique locorum impendatur, hanc pro=
pria Calamo scripsi et meum solitum artis Notarie signum depinxi, ut in=
pra in testimonium premissorum; Die [illegible] mensis [illegible] 1735.
ad requisitionem dicti Nob. D. Bernardi Olives et Quart



C

Arxiu Comtat de Torre-saura

9

Arxiu Comtat de Torre-saura

Arxiu Comtat de Torre-saura